1

PARENTALIA IN OBITVM ILLV. STRISSIMI ET MAGNIFICI DNI. D. IANVSSII GRZYMVTOWSKI

CASTELLANI BIDGOSTIEN: CAPITANEI SRODENSIS. &c. &c.

A

IOANNE CENTALIO A.B.

Eiusdem Illustrissimi Piæ Soboli.

Anno 1617. Die 3. Octob.

HONORIS, ET *DEBITÆ OBSERVANTIÆ* ERGO *DEDICATA.*

VIVIT POST FVNERA VIRTVS

Posnaniæ, in Officina Ioannis Wolrabj.



IN STEMMA GENTILICIVM.

FRonte orbata, cruce insignis, ramisq; decora,
Tristis, sacra, hilaris. Quid notat arbor? Habe.
Arbor, crux, rami, corpus, mentem, sobolemq;,
Defunctum, saluam, perpete stirpe fore.
O felix! ter felix GRZYMVTOVIVS *Heros!*
Corpore, Stirpe, Anima, Symbola pulchra tenet.

*REVEREND*mo *DOMINO*

D. IOANNI DIVINA

PROVIDENTIA ABBATI LANDENSI.

MAGNIFICIS DOMINIS

DD. STANISLAO, ANDREÆ CHRISTOPHORO &c.

GRZYMVTOWSCIIS FRATRIBVS GERMANIS S.

SIquando Vrbs Romana, mundi compendium, caput ac miraculum, gentium lumen, viris laudatissimis gloriæ Symbola inusitata erigire visa est; tunc vel maximè eo tempore quo mortalis corporis sarcino illi destituti, ad recte factorum præmia (vti fabulosè putabant) capienda euolassent. Iam enim & excellentes Oratores pro contione ad mortuorũ laudes enumerandas submittebat; remissis luctibus, præficis amotis, cantus & tibias inducebat, singulari fortitudini trophea & monimẽta consecrabat, quibus posterorum animi ad æmulationem & amorem excitarentur, mortuorum egregia facinora, laudis ornamento insigni munerarentur. Mihi quidem Parentis Vestri Illustrissimi vita functi gloriæ studiosissimo, nominis Vestri cupidissimo, non tantum ingenii Poeticæq; facultatis vis diuina afflauit, vt laudationi aut Panægyri Illustriss. Parentis Vestri æterna memoria dignissimi in Repub. pro Repub. collata facinora adæquare possit. Nobilissimorũ Oratorum & Poetarũ centurias hic campus laudis & gloriæ in quo felicissimè decurrant,

sibi depoſcit: amore tamen eius, Veſtroq; fauore omnibus paratiſſimo incitato facere minime licuit, qui aliquid animo, Veſtris animis obſtrictiſſimo, calamo Vobis officioſiſſimo in Threnodias & Epicedia conijceret. Et quamuis Homero ipſo ad Achillem tantum decorandum opus eſſet, neq; dolori habenas laxare commemoratione Nobiliſſimi Herois expediat; mihi tamē ea vſurpare haud indecens duxi, quibus præſtantiſſimā memoriam Parentis Veſtri Illuſtriſs. non depingerem, ſed leuiſſimè adumbrarem. Non deſunt prudentiſſimi ſenatoris ordinis & equeſtris ſapientiſſimi Viri, qui inſtar Homeri Parentis Veſtri Illuſtriſs. pulcherrimā laudū argumenta, longa ſerie recenſeant, ſunt innumeri quibus in ore frequens illa grauitas, illud conſilium, illa prudentia conquieſcit. Quid loquar de afflictæ ac proſtratæ fortunæ hominibus? Ecce illi pullato agmine, lugubri nænia, Parentem ſuum intermortuis vocibus lacrymantur, à cuius vita, præſidium vitæ; fortunis, fortunarum ſuarum ſubſidiū, deſumebant. Veſtra vero ô Nobiliſſima Proles, digna tanto Parente, quæ animi eadē & vocis teſtificatio foret, niſi dolore, animo occupato voci aditus omnis intercluderetur. Norūt tamē ex animo Veſtro, veluti ex Timanthis pictoris tabula, quæ Veſtra in Parentem Illuſtriſs. pectoris effuſio, quæ amoris ſignificatio appareat; iſtud velum veluti olim Agamemnoni per pictoris tabulam in cæde Iphigeniæ obiectum Vos plurimo mœrore ſepultos reſpirare minimè permittit. Facite iam vt dolorem, quem mors acerba pyræ inſtar Vrīs pectoribus excitauit, tum recordatione optimi Parentis, tum Parentalibus iſtis verſiculis, à Cliente Vrō conſcriptus, veluti infuſa frigida leniatis. Valete & Parentis Illuſtrſs. iacturam Reipub. Patriæ, egregiè factis decorate.

Occidis haud vnquam genitor rediturus amate,
 Spes noſtræ afflictæ te moriente cadunt.
Iamne tuos natos linquis? iam deſeris orbem,
 Aſpectu pateris noſq; carere tuo?
Occidis hem ſuperis cœlo hem digniſsime! Vitam
 Sat pulchro mutans munere ſorte Parens.

LVCTVS MM. DD. DZIALINSKI & MODLISZEWSKI.

Inuida ten' nobis Lacheſis conuiuere Socre
 Inuidet? è vita te violenta rapit?
Poſcimus ô Parcæ quibus eſt conceſſa poteſtas
 Parcendi, veſtras iam cohibete manus.
Irrita vota cadunt, extrema volumina Ditis
 Cernimus, haud ſiſtit noſtra loquela manus.
Ah dolor! ah gemitus! Socro negat Atropos atra
 Auras vitales, quàm fera corda gerit!
Sed nobis quamuis te hinc funera triſtia tollant,
 Attamen haud aberit mentis imago tuæ.
Illa recurſabit quoties de pectore luctus
 Edimus, atq; tui pectore gliſcet amor.

LACRYMIS AMICORVM NON LACRYMAS DEFVNCTVS.

Quem

A4

QVem fletis nati? natæ? quem fletis amici?
Barbara cur lacrymis ora tuisq; lauas?
Sic opus est an me, vel sic mea funera fleri?
Iam me pro meritis cælica dona beant.
Discedat luctus; ne fle dulcissima coniunx
Extinctus tibi sum, sed mea vita *DEVS*.
Ne gemito dilecta cohors non funera nostra
Fleto, Mors bona sors, quæ bene facta parant.
Ne fle cara cohors; nil prosunt ista sepulto,
Dextera defunctum larga, precesq; iuuant.
Arcete à tumulo lacrymas, ver hæc agit vrna;
At cineri terram quisq; precare leuem.

AD SRODENSES.

PVllatum sequeris Domini lacrymabile corpus
Plebs pia, nec iustis flendo deesse cupis.
Hinc dolor immensus stimulat, suspiria ducis;
Exigit hoc pietas, exigit atq; fides.
Magna hæc officia extincto, maiora fuissent
Viuo; Sed magnus sic cupit ipse Pater.
Non ciues funus, lethiq; immania iura
Fleueritis, lacrymis non eget iste pijs.
Ite procul mæstæ inferiæ, istis nænia desit
Funeribus, nardum hæc spirat & vrna crocos.

AD EOSDEM.

Quis

Et primum æthereo passu sapientia doctum,
Amplexata virum fouit, tum Astrea Virago
Lances commisit geminas, quas pondere certo
Libraret munerans pietatis munus & æqui,
Vt nec in hanc partem, nec in illam vergeret, æquus
Sede Senatoris. Bidgostia cui sua vouit,
Pignora, & ad summos apices deduxit honores.
Hunc sibi Sroda patrem cecinit quo Principe mentis
Munera libauit, propugnatore scelestos
Euasit paci sacræ firmata tumultus.
Instituitq; piam sine tristi, murmure vitam.
Doctus erat dubijs supremum imponere finem,
Litibus, & doctus latebris educere verum,
Immersum, doctus vulgi componere mentes
Auersas, doctus causas discernere iustas.
Publica priuatæ cedebant commoda causæ.
Non illæ anxiferis curis, non ille labori
Parcere suetus erat, Patriæ vt prodesset in æquo
Consilio Magnus; non vnquam mæstus abiuit,
Pauper opem poscens, non vnquam ianua clausa,
Hospitibus, nunquam querulum liquitq; clientem
Consilium implorantē æquum. Quæ docta facultas
Ingenij? Linguæq; modus? Quod amabile pondus
Mentis? & arrectas, sermo qui duceret aures?
Læta viro grauitas fuerat, non fronte serena,
Tristitiæ nubes voluit, non ira seuera,
Succendit solidum pectus, non fastus inanis

Insla-

Inflauit doctam mentem: Sed lenis & æquo
Humanus, facilis, curas exercuit altas,
Religione DEVM, patriam pietate colebat.
O Lux Sarmatiæ! Iubar ô! Quo carmine tandem,
Te tantis digner meritis, virtute flagranten!
Raptus es immerito letho, sed laude perenni
Non es raptus, abis longe felicius æuum.
Victurus, viuis cæli delatus in aulam,
Viuis & in terris fama, quam nulla vetustas
Inuoluet. Viuas hoc pro te poscimus omnes.
Spiritus æthereas regnet transuectus in oras,
Corpus humo tectum, felix requiescat in æuum.

MOESTÆ CONIVGIS LACRYMÆ.

QVid me Parca furens viduatam viuere chara
Parte facis, mentis dimidioq; meæ:
Hem raperis coniux, tecum mea vita labascit,
Spes cadit eximiæ gloria gentis honos!
Quis mihi dat Niobæ pectus? quis saxea corda?
Pectore præ lacrymis deficiente meo.
Hæc cari exuuias comprenderet vrna mariti,
Non datur, illa, oculis conditur ergo meis.

NÆNIA PIÆ SOBOLIS.

Occidis

Tum sequimur pauidi, tristi suspiria corde
Et flentes gemitus crebros lacrymasq; ciemus,
Tundimus & pectus palmis, mortemq; timemus,
Mortem incusamus, mortis meminisse ferocis
Tum iuuat. At postquam terræ miserabile corpus
Conditur, & pompæ lacrymosus tergitur imber.
Ilicet ex oculis & mente abscedit imago
Horribilis mortis, tædet meminisse supremi
Fati; non animis mortem, nec voce tenemus,
Excidit illius nomen dextræq; facultas.
Ac veluti (modo fas exemplis talibus vti)
Si quando Lanius porcum piguedine crassum
Arripuit, vel strauit humi, iuguloq; cruorem
Vociferantis adhuc haurit; tunc vndiq; lecta
Tota caterua suum propere glomerantur in vnum,
Grunnit & horrendum, vocem similisq; dolenti
Emittit, donec sensim ductore sepulto
Vi necis, in virides pastum delabitur agros,
Immemor in similes mortis reditura reatus.
Hac rerum facie, mortales triste cadauer
Deplorare solent, præsens mouet vrna, voraci
Reddita sed terræ, nulla formidine pectus
Tangit. Sic multis viuunt obnoxia fatis
Lustra malæ vitæ, Lachesis dum pensa ministrat.
Heu durum mortale genus, melioribus vti
Immemor auspicijs, pronum se trudit in omnes
Casus; terræ hærens vltro auersatur Olympum!

 Nunc

Nunc iuuet Heroi decusso cuspide fati
Pendere supremum Lesso lacrymante decorem.
Heu rigido busto requiescit clausus, honores
Demessor subigens! non iam spectante corona
Enumerare potest titulos, non facta suorum
Martia, splendorem summum decorando Senatûs,
Virtutis fruitur nituit queîs viuus elenchis,
Et gratos capiens post mortem laudis amores,
Dulcilego refecit me vsus sua corda susurro.
Desine pullata carmen præcinctus ab olla
Sollicitare Pater vatum, cui pecten acutum
Arguta resonare solet dulcedinis metrum;
Læta coronatæ capiant quoq; sistra sorores
Cecropio ludant versu, tristiq; querela
Deposita renouent Herois symbola laudum.
Pro querulo fletu, fontes mihi reddite Musæ
Pegaseos, meritum queîs spargam nobile corpus
GRZMVTOWSKI, dignum vita, si fata dedissent
Quadruplici: ast superis aliter visum, imus ad vnam
Metã. GRZMVTOWSKI omnes lacrymemur ademptũ.
Non ille immeritam vitam ducebat, in horas,
Quam non assiduo ornaret virtutis amore.
Sanguine prænobili cretus, decorauit eundem
Artibus ingenuis, vernantis lustra iuuentæ
Moribus instruxit sanctis, firmauit in annos
Egregios actus iuuenis, patriæq; decorem,
Attulit & laudem, nomen liquitq; superstes.

Et

LESSVS.

DIra cruentatis totum furibunda per orbem
Dum ruit in bigis, nullo discrimine secum
Mors omnes rapiens, rigidis dum cæde re-
Cæca triumphat equis passim, crudelis acerbo (cepta
Cuspide, cor fessum multo languore pererrans:
Luminibus tetigit GRZMVTOWII: Legibus ille
Se fati subdens, cælestes fudit in auras
Spiritum, & exuuijs carnis mentisq; relictis
Æterno gemitu charos lacrymisq; repleuit.
Nil male mortales noua nulla emergere possunt,
Hac facie rerum; metam properamus ad vnam,
Tardius aut citius, summi stat grande Tonantis
Decretum, mortis legem subiisse ferocem
Omnibus ex æquo: non vis exemit Achyllem:
Nerea non facies: Cræsum non aurea stagna
Pactoli; & iuuenem pelleum mille trophæa,
Quæ sua dextra tulit, triplex nec Nestoris æuum,
Nec pietas memoranda Numæ, nil adijcit atrox
Fatisono Lachesis penso fusoq; sororum:
Quæ statuere diem fatali lege sorores
Luctificæ obseruant frustra te cura fatigat,
Et querulas frustra mittis sub sydera voces,
Vt lethum euites. Tantas mortalibus ægris

A Infe-

Infelicis Adæ culpæ peperêre ruinas.
Sed libet infestam sortem & miserabile fatum
Discere GRZMVTOWII, cæca cur nocte subactum
Splendorem teneat? rapido cur sternitur ausu
Et nitidus rigidis nimium committitur oris?
Cur sic fata rotant humanæ commoda vitæ?
Et fallax Lachesis mentes deludat? inerti
Spe dites, pulchrosq; dies, perimatq; iuuentam.
An qui vult meminisse sui? quod nescia falces
Exacuet, collum cuiuis scissura feroci?
An quia confringit sceptrum? quæ splendida ponit
Sors in mortales inopi miscetq; beatum
Id meminisse iuuat, menti solideque repostum
Hoc fixisse: Sed proh dolor immemor horum
Infelix hominum genus, licet omnibus horis
Vergat in exitium, certam nec funeris horam
Propinquare sciat, quibus instet fulmen ab astris,
Quæ nubes fatale sonent! tamen omne per æuum
Immemor interitus viuit, viuitq; sepultum
Millenis vitijs, sæuæ nil ianua mortis
Semper aperta mouet, nil mille sequentia culpas
Pænarum genera immanis quæ addixit Auernus
Sontibus. Vsq; adeone tepens obliuio mortis
Deludit mentes? Tanton' mortalia corda
Vulnera mortales per culpas saucia gestant?
Quando funebre damus vitale luce carenti
Officium, iustis iustum vt soluamus honorem;

Tum

QVis mæror nouus hic vrbis per compita fertur?
Vrbis cuius erat Præses Herusq; vigil?
Astra ferit planctus plateæ velantur amictu
Funereo, lacrymas angulus omnis amat.
Agnosco, agnosco fletus cui soluat obortos;
Cum Domino efferri plebs sibi visa suo.
Nam veluti pullos passis gallina sub alis
Fouisti tenues, re, stipe, lege, greges.
Ecquid pro meritis reddat? rem carmine signat:
AVT NVNQVAM, AVT SERO, DEBVIT ILLE MORI.

SAT DIV QVI BENE VIXIT.

FAllitur annosum quisquis perduxit in æuum
Vitam, tum melius viuere seq; putat.
Ægra, grauis, submersa malis stat vita malorum;
Longæuam vitam qui bene vixit, habet.
GRZMVTOVIVS vixit multa virtute beatus,
Ergo diu: paulùm sæcula longa iuuant.

MORS PROFVIT.


GRZMVTOVIO clarum Clotho improba nomen
Orbauit forma, spe generisq; sui. (ademit,
Tot fidis carisq; sibi priuauit amicis,
Stemmate, diuitijs, nobilitate, domo,

His

His meliora tulit IOANNES desuper. Frgo
IOANNI minimé pessima Clotho tulit.

PRÆMIA VITÆ.

POmpilium pietas superis sociauit in axe,
Falsus sydereo cultus honorq; Iouis.
Te celebat clerus, laudant hominumq; cateruæ,
Egregio fulsit nam tibi vita bono.
Tu verbo factoq; simul tutator & autor,
Tutasti pulchras relligionis opes.
Quid memorem veræ solidum Virtutis amorem,
Arserit vt summum mens animusq; *DEVM*.
Quid decorata tua de gazâ templa Srodana,
Aras? Quid Mystis præmia sponte data?
Quid mores sanctos? Quid prouida verba? benignũ
Quid pectus? longas nocte dieq; preces?
Si tibi Nestoria in terris sors vita fuisset;
Esses virtutum creditus esse parens.



TVMV-

TVMVLVS HONORARIVS.

D. V. T.

ET PIIS MANIBVS S.

ADES HOSPES ET PELLEGE.

Nam tibi hæ notæ quo

ME NOVERIS

OPVS.

HIC IACET

IANVSSIVS.

Incomparabilis erga bonos affectu.

Singularis erga DEVM pietate.

Maxima erga egenos liberalitate.

GRZIMVTOWSKI.

Heros origine ac familia prænobilis.

Varia eruditione insignis.

RELIGIONE VENERABILIS.

Ingenio Singularis.

B 2 TANTVM

TANTVM AMANS TOGÆ
Quantum non immemor
SAGI.
CASTELLANVS BID-
GOSTIENSIS.
Orthodoxæ Religionis acerrimus
PROPVGNATOR.
Iuratus hęreseū aduersarius.
CAPITANEVS SRODENSIS
Cuius omnis, viuis coloribus, habet
Expressam in animo imaginem
PAVPER ET DIVES.
DEFVNCTVS
Hoc omnibus thoro ab alto
viuentibus
CANIT.
OPTATE BENE MORI.
Quod ipsum nisi bene vixeritis.
Frustra est.

Optate

Optate & enitimini
Et quod in vobis est facite
Reliquum illi committite
QVI
QVOS IN HANC VITAM VLTRO
NON VOCATVS INTVLIT.
Egressuris non nisi vocatus
Et rogatus manum dabit
AVXILIATRICEM.
NON MORI AVTEM NOLI OPTARE.
Non modo enim impudens
Arrogansq́, Sed inefficax
Et inane votum
EST
DEGIT ANNOS L.
VITAM DESIIT M.D.C.XVII.
DIE XXV. IVNII.
HORA XXIV.
TVMVLATVS DIE III. OCTOBR.
SRODÆ.

 COLLA-

COLLACRYMANTIBVS SVIS
Abstulit Senatorem
Regno Lethum.
Sed Incolam cœlo non
POTERIT.
BARBARA A GRVDNIA
CONIVX MOESTA, CARO MARITO
Liberi optimo Parenti profusissimis
CVM LACRYMIS
P. P.

VIGILATE ET CAVETE



SVBITO IRRVO.

TRISTEMVR ERGO.

ERGO sonat Miles, Medicus, Sophus, Ergo. Poëta
Ergo sonat Sapiens, Diues, inopsq; suum.
Quiuis Ergo; tamen cuiuis, hoc non quadrat Ergo.
Quod cuiuis, quiuis, respuit aut negligit.
Ergo bonum cuiuis, HODIE MIHI, CRAS TIBI, Vixit,
Non est, non ero, sed rarius Ergo. Quid hoc?
Hoc sit Homo Ergo tibi fragilis rerum Alpha & Omega.
Continuo foueat mens animusq; tuus.
Lætitiæ regnat sub imagine Mors inopina,
Quo minime speras demetit ense caput.
Lætitiam Ergo necem credam; Sed tristia Vitam,
Ne moriar lacrymis vsq; rigabo genas.

IN INSIGNE GENTIS.

Fatis concessit GRZMVTOVIVS: audet acerba
Sic Clotho! tantum depopulata iubar.
Sed victor cecidit, Virtus vicisse tyrannos
Edocuit mentis, ferreq; mente decus.
Non immota feret splendoris dona, colossus
Testatur vitæ Symbola pulchra suæ.
Defuit in vita GRZMVTOVIO quidquid honoris
Id post fata sibi Pulchra trophea locant.

ALIVD.

ALIUD

IN IDEM.

GEstiit, vt carum concidit falce maligna
Parca caput, tales sustulit atq; sonos.
Quid me sat rigidam genus & mortale seueram
Arguit? en cæsis do bona lustra viris.
Funeribus pulchros quamuis immitis honores
Destino, nec tristes posco timere dies.
GRZMVTOVII *fatum doceat, cui pulchra trophæa*
Erigo, cum fausta stat cruce cuius honor.



